

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

350. Quid agere oporteat propinquos illius qui Ecclesiam ditavit de rebus suis, si præviderint ex colatis aliquid defraudatum Ecclesiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Car-
thag. c. 26.

CCCXLIII. Placuit ut rem Ecclesiz
nemo vendat. Quod si redditus non habet, &
aliqua nimia necessitas cogat, hoc insinuan-
dum est primati provinciae ipsius; ut cum sta-
tuto numero Episcoporum, utrum fiendum sit,
arbitretur. Quod si non fecerit, reus Deo &
concilio venditor amissio honore teneatur.

Ex decretis sancti Martini Papæ.

Martin. Bra-
car. c. 14.

Burchard. lib.
1. c. 215. &
lib. 3. c. 181.

* in scio clero

CCCXLIX. Si quis Episcopus, nulla
ecclesiasticæ rationis necessitate compulsus,
* in suo clero, aut ubi fortè non est Presbyter,
de rebus ecclesiasticis aliquid præsumpsit
vendere, res ipsas Ecclesiæ propriæ restaurare
cogatur, & in judicio Episcoporum deiciatur
auditus, & tanquam furti aut latrocinij reus
suo honore privetur.

Quid agere oporteat propinquos illius qui
Ecclesiam ditavit de rebus suis, si prævi-
derint ex collatis aliquid defraudatum
Ecclesiæ. *Ex Concilio Toletano.*

Concil. Tolet.

9. c. 1.

Burchard. lib.
3. c. 182.

CCCL. Omnis itaque rei ecclesiastice
quantitas, sicut remedium veniæ tribuit con-
ferenti, ita damnum rite præparat fraudator.
Et ideo nullus sacerdotum vel ministrorum ex
rebus Ecclesiæ, quæ in quibuscumque locis a
fidelibus largiuntur, aliquid auferat, vel juri
suo aut cathedræ propriæ unitati connectat.
Verum ut hujus rei potior soliditas habeatur,
propinquus ejus qui construxit vel ditavit Ec-
clesiam licitum sit hanc bonæ intentionis ha-

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 163
bere soleritiam, ut si sacerdotem seu ministrum
aliquid ex collectis rebus præviderint defrau-
dare, aut commonitionis honesta conventio-
ne compescant, aut talia Episcopo vel judici
corrigenda denuntient. Quod si talia Episco-
pus agere tentat, Metropolitanu ejus hæc in-
sinuare procurent. Si autem Metropolitanus
talia egerit, Regis hæc auribus intimare non
differant. Ipsi tamen heredibus in eisdem re-
bus non liceat quasi juris proprij potestate
præferre, non rapinam, non fraudem ingere-
re, non violentiam quamcumque præsumere.
Si quis hæc monita temerare præsumperit, &
malè rapta cum confusione restituere, & ex-
communicationis annue sententiam susti-
nebit.

De terrulis & exiguis vineis. *Ex Concilio
Agathensi.*

CCCL I. Terrulas aut vineas exiguae & Conc. Agath.
Ecclesiæ minùs utiles aut longè positas parvas c. 45.
Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas
fuerit, distrahendi habeat potestatem.

Quod fugiti vi servi Ecclesiæ permittuntur
distrahi. *Ex eodem Concilio.*

CCCL II. Fugitivos etiam servos, do- Conc. Agath.
mos suas aut familias deserentes, qui etiam si c. 46.
revocati fuerint, teneri non possunt, simili ra- Burchard.lib:
tione ab Episcopo, si voluerit, aut si ita illi
meruerint, distrahantur. 3. c. 188.

* * *

L ij